

USUS E VERSU III.

(1) Tot Deo tributi, totiesque repetiti tituli, arguunt orantis amorem, fiduciam, periculi varietatem, invocanti inexplicabilem majestatem, bonitatem &c. Psal. VIII, 2. seq.

(2) Petra est, asylum est, Salus, quia confugientes ad se suscipit, occultat, & periculis salvat.

(3) Si immoti perstamus in adversis, tribuendum hoc Deo sospitatori soli: 1. Thess. V, 23.

(4) Si multoties adorantur nos infortunia, multoties nos repetamus insignia hęc Dei attributa.

USUS E VERSU IV.

(1) Corripiendi sunt tum inimici, tum amici, vigore secundę tabulę: Jac. V, 19. vel sermone, vel scripto; vel per nos ipsos, vel per alios &c.

(2) Vitium, etiam inchoatum, aut semel saltem admissum, scđitate non caret; multo minus quando continuatur diu: quousque?

(3) Tumultuari gregatim contra unum, & turpe & iniquum.

(4) Crudelitas, interfectionem aliorum desiderans vitium V. præc.

(5) Afflictio non est addenda afflictio. Qui parieti similis est jam sponte lapsuro, non debet ictibus impugnari nostris. Imò debiles confortandi potius, quam sternendi Gal. VI, 1.

USUS E VERSU V.

(1) Consultare in aliorum perniciem, ad prosterendum digniorem, injustitia aperta certoque puniendā.

(2) Mendaciis uti, technisve occultis, mos aulicorum mundique communis. v. præc. VIII.

(3) Labii blandiri benedicientibus, & pectore maledicere vel vilipendere, artificium à serpente antiquo introductum: Joh. VIII, 44.

(4) Pertinet hęc columbina piorum simplicitas, astutia mixta serpentina. Matth. X, 16.

USUS E VERSU VI.

(1) De Silentio & tranquillitate in Deo v. 2.

(2) Spes nostra non nisi à Deo bona sibi pollicebitur. Quid enim creaturę prestarent omnes, invito Creatore? Quid sperabis à liberis, parentibus, patronis, amicis, nisi successum largiatur Causa prima?

De VERSU VII.

repetantur dicta v. 3.

USUS E VERSU VIII.

(1) Salus nostra à Deo. v. 2. 3.

(2) Gloria nostra, estimium, ac dignitas proficitur à Deo: in nullo etiam, nisi in hoc solo, gloriandum nobis: Jer. IX, 23.

(3) De Petrâ robustâ & perfugio v. 3. & 9.

USUS E VERSU IX.

(1) De fiduciâ in Deo præc. I.

(2) Tempore non tantum prospero, aut alioqui tolera-

bili, bona concipimus in futurum, sed valde etiam difficili ac desperato.

(3) Effundendum coram Deo cor totum, quoad mala admissa, ut deprecemur, quoad bona amissa, ut recuperemus, quoad promissa, ne per incredulitatem excidamus. L. de oratione.

[4] Ad Deum confugiamus, fortiter interea tolerando, desperationi reluctando, de fiducia & amore nunquam remittendo, utui cum Jobo adversos experiamur proximos quosvis, imprimis oppugnantem Satanam, mundum, &c.

USUS E VERSU X.

[1] Tam magnates, quàm plebeji vanitatem agnoscere tenentur propriam: non sunt, quod esse videntur sibi aliisque. Mendacium deprehendimus palpabile in conditione externâ aspectabili.

(2) Accuratè, & quasi lancibus exploranda est nostra conditio, ne decipiamur opinionibus propriis, malè prorsus fundatis, Apoc. III, 17. Quorsum probatio: 2. Cor. XIII, 5. qui stat, videat ne cadat. 1. Corinth. X, 12.

(3) Separanda tamen hęc natura ab hominis naturę corruptione; ne cum Flacianis impingamus. Discernendum etiam inter bonitatem veram & apparentem: &c.

USUS E VERSU XI.

(1) Fiducia in viribus propriis, autoritate, nocendi facultate, opibus injustè corrasis, &c. impingit contra I. præc.

(2) Evanescit, qui in opulentiâ iniquâ, imò etiam honestissima, confidit.

(3) Bona temporalia uni præ altero contingunt, non sine Dei moderamine: v. Prov. XXII, 2.

(4) Ingentis est prudentiæ, opibus concessis cor non apponere, h. e. easdem non amare, ob eas non insolere, de iis augendis non curare, de earundem decremento non nimium tristiari, iis non confidere atque sic Mammoni non inservire Matth. VI, 24. uti & non abuti: Prov. X, 16.

USUS E VERSU XII.

(1) Quę Deus locutus est semel, valere debent in omnem aternitatem. Verbi divini autoritas.

(2) Audienda sunt sapius, citra omne tedium aut vilipendium, quę verbis factisque testatus est omnium Dominus. v. præc. III.

C (3) Robur soli tribuendum Deo, non opibus, non magnalibus, non ullis creaturis aliis, coram mundo alias splendens. L. de Dei omnipotentiâ.

USUS E VERSU XIII.

(1) Præter Dei omnipotentiam semper quoque religiose estimanda est ejusdem Gratia, & Clementia. Pf. CXXX, 7.

(2) Quę ipsa tamen Gratia non obstat Justitię, quò minus immorigeris rependat pro meritis, obsequiosis autem filiis, vi promissorum, largè rursus, benefaciat ac consoletur: Luc. XVI, 25. Psal. VII, 12. Coh. XII, 14. 2. Cor. V, 10.

PSALMI LXIII. DISPOSITIO.

Sitis spiritualis. Desidero templum tuum,

Post titulum, quò autor & occasio tempusq; carminis exprimitur v. 1. deprehendimus.

I. Professionem fidei, desiderii, cultusq; sui sancti: (1) tu Deus es Deus meus: v. 2. (2) Te quero manè vel anxie: anima sitit: caro anhelat,